



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 8. An excusatur vendens ultrâ pretium justum, eò quòd emptor tale  
pretium offerat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

## DE CONTRACTIBUS. 51:

dum, ex communi, peccas contra Justitiam, & teneris restituere: quia mendacio, ideoque viâ injustâ inducis proximum ad contrahendum cum suo damno; & injustum est proximi bonum fraude, mendacio, vel dolo impedire, aut minuere.

4. Magistratus peccant contra Justitiam, & tenentur ad restitutionem, si pretia rerum mutant ob privatam suam utilitatem; vel si editi justi promulgationem differant eō solum fine, ut prius merces vendant, aut emant, vel pecunias distrahant; aut si alicui Legem brevi promulgandam significant, quā notitiā illē utatur cum aliorum detrimento. *Ita Rebellus, De Lugo, & alii multi.* Quia ex suo officio tenentur impedire damna aliorum, & curare ne ex suis Decretis damnum aliquibus præ aliis eveniat. Enimvero eorum officium in communem utilitatem institutum est: ergo non possunt eo uti in damnum aliquorum, ob utilitatem propriam, vel privatam alterius.

**Q. 8. An excusat ur vendens ultra pretium justum, eō quod emptor tale pretium offerat?**

**Resp.** Neg. *Est communis.* Quia emptor non vult liberaliter donare excessum pretii justi, sed emere, & solvere duntaxat justum pretium. Unde excessum non offert, nisi ex errore tollente voluntarium, vel ex necessitate, aut affectu erga rem illam; quæ non augent pretium

pretium mercis respectu venditoris, cùm sint ex conditione emptoris. Si tamen constaret excessum illum liberaliter donari, ut faciunt aliquando Principes, posset retineri: donatio enim liberalis est justus titulus, ob quem etiam emptor posset minoris emere; sed hoc nunquam presumi debet, nisi absint ignorantia justi pretii, necessitas, fraus, ac coactio, & adsit al. qua causa ut consanguinitas, affinitas, amicitia, vel liberalitas.

**Q. 9.** *Si venditor ignoret valorem mercis sue, ad quid tenetur emptor?*

*Resp.* *Ex communi*, tenetur illum ei aperire, si rogetur, alioqui injustè deciperet. Si non rogetur, tenetur pretio justo saltem infimo emere, quamvis minus ex ignorantia petatur; nam non servaretur aequalitas; & injustum est rem emere, vel vendere minori pretio, quam communi aestimatione valeat, cùm hoc pretium sit injustum. Neque enim venditor intendit donare id, quod deest justo pretio, sed rem uti est vendere justo pretio. Et manente ignorantia, quævis ejus condonatio non est voluntaria, nec proinde valida.

**Q. 10.** *An qui scit in agro alieno latere thesaurum, licite emit agrum pretio communi, ut fiat Dominus totius thesauri?*

*Resp.* Communiter affirmant. Quia i. Chri-